

13. q. 4. ait, si contingat Sacerdotem aegrotare, et non adesse nisi Diaconum, qui Sacramentum deferat, debere Sacerdotem propriis manibus, si possit, sacram hostiam accipere et ori applicare. Notat tamen *Suarez* hoc esse insolitum, nec facile practicandum pro sola devotione.

301. Q. II. An ludimagister licite ad aegrotum detulerit ciborium, eique ministraverit Eucharistiam? R. 1. Juxta communioem, et (ut ait *Bonac.* l. c. n. 6.) probabiliorem illicite egit: tum quia Eucharistia non est tam necessaria, ut contra consuetudinem hoc fermentum receptam dari debeat a laico; tum quia juxta communem sensum fidelium major huic Sacramento debetur reverentia, quam ut a laico possit administrari: tum quia ex hoc usu non essent hodie evitandi plurimi abusus, scandala et irreverentiae; ergo propter graviora mala inde oritura merito in praxi tenenda est haec sententia: antecedens examinanti prudenti judicio facile patebit. Plura vide apud *Sotum*, *Sylv.*, *Henriq.* l. 8. c. 54. *Sa.* V. Euchar. n. 4. et 32., *Victoria*, *Chamerota* de Euch. c. 9. Dub. 3. *Lugo*, *Mendo* Dissert. 11. q. 2. et alios quos citant *Bonac.* l. c. et *La Croix* hic n. 482. Contrariam sententiam, ejusque patronos vide aqd *Burgh.* Cent. 3. Cas. 69. ubi tamen male pro hac sententia citatur *Henriquez.* R. 2. Non videtur esse dubium, quin laicus cum facultate Summi Pontificis possit vel sibi vel alteri in necessitate praebere Eucharistiam: sic Maria Stuarda Regina Scotiae martyrium subitura prius Sacramentum, quod apud se habebat, propriis manibus sumpsisse perhibetur; de quo facto *Suarez* hic nobis contrarius Disp. 72. sect. 3. in fine ait: *Et quamvis fortasse habuerit* (laudata Regina Scotiae) *amplam circa hoc Pontificis concessionem, tamen etiam sine illa pie ac sancte fecisset.* Juxta eundem et alios in necessitate, ubi Eucharistia profananda esset ab haereticis irruentibus, laicus posset licite sumere sacras species, si ab altari fugisset aut vi abreptus esset Sacerdos.

302. Certius est, hodie nunquam licitum esse, ut Sacerdos laico tradat sacrum Domini Corpus ad deferendum infirmis, ut constat ex C. *Pervenit.* 29. dist. 2. de Consecr.

303. De Ministro porro observa sequentia I. Sacerdoti nunquam licet consecrare unam speciem sine altera, imo nequidem pro communione moribundi, dum forte deest vinum: quia consecratio utriusque speciei est de essentia sacrificii; posita enim unius speciei consecratione non perfecte, quantum fieri potest, repraesentatur incruento modo sacrificium cruentum a Christo D. in cruce peractum, neque est perfecta destructio hostiae mystica: sicut enim vi verborum sub speciebus panis ponitur Corpus Christi, et sub speciebus vini Sanguis, ita per utramque consecrationem tanquam per separationem mysticam Sanguinis a Corpore perfectum fit sacrificium. Hinc juxta c. *Comperimus.* 12. Dist. 2. de Consecr. *Divisio unius, ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Ideo juxta *Missale Rom.* de defectibus in ministerio ipso occurrentibus, si Sacerdos post consecrationem panis graviter infirmetur aut moriatur, alius, etiam in casu necessitatis non jejunos, debet prosequi missam, et super eundem vel alium calicem verba consecrationis proferre, ab illis verbis incipiendo, *simili modo* etc.

304. II. Nunquam licet Sacerdoti facta consecratione omittere communionem, vel eam sumere tantum sub una specie. Hinc graviter erraret Sacerdos, qui ex defectu particularum solas species vini sumeret, hostiam vero majorem in minores partes divisam laicis pro communione distribueret; quia sine sumptione sacrificium non est integrum, et Christus ipse Eucharistiam instituens suo id exemplo docuit. *Conf.* ex s. Th. P. 3. q. 82. a. 4. in corp. *Ideo necesse est, quod Sacerdos, quotiescumque consecrat,*

sumat integre hoc Sacramentum; vide c. *Relatum* 11. dist. 2. de consecr. et C. *Nihil contra.* 16. Caus. 7. q. 1. Pariter erraret graviter Sacerdos, si renovaturus hostiam pro sacra hierotheca, vulgo monstrantia, hostiam sui sacrificii ibi reponeret et antiquam sumeret; quia sic non communicaret de suo sacrificio. *Lugo* et comm. Ideoque pro praxi notandum, quod tunc consecrare debeat duas hostias, et ex his unam sumere more consueto, alteram vero reponere pro monstrantia, antiquam autem inde extractam sumere immediate post sumptionem sacri Sanguinis ante ablutioem: sic enim prius complet integrum suum sacrificium, et jejunos sumit alteram hostiam.

305. III. Licet Sacerdoti reliquias hostiarum in corporali aut patena repertas sumere, cum, vel etiam post ablutioem; quia pertinent ad eandem actionem et complementum ejusdem sacrificii, et sufficit, si jejunos inchoet illam actionem, licet non ad singulas ejus partes sit jejunos. Ita *Suar.* dist. 68. sect. 6. *Fagund.*, *Lugo* et alii. *Confirm.* Si contingat particulam hostiae ita adhaerere ori, ut non possit deglutiri, cuilibet communicanti licet sumere aquam vel vinum, donec deglutiat; item si contingat, particulam hostiae consecratae, quae fuit immissa calici, adhaerere fundo calicis vel lateri, licite Sacerdos infundit vinum ad purgandum calicem, ut simul adhaerentem particulam sumat; indecens enim est juxta *Suar.* l. c. digito illam trahere ad os calicis: quamvis in his casibus prius descendat vinum in stomachum; ergo a pari; adde quod species vini nunquam in prima sumptione ita possint exhauriri, ut non remaneant aliquae guttae, quae una cum ablutioem sumuntur; ergo sicut hic censetur una adhuc actio, ita etiam in priore casu. Vide *Rubric. Missal.* de Defect. §. 7. n. 2. et 3. Quid, si Sacerdos post Sacrum in sacristia jam existens adhuc inveniat hostiarum particulas in patena? R. Juxta *Dian.* et *Gobat.* tr. 3. n. 422. si adhuc indutus sit paramentis, potest eas sumere; sic enim non inchoatur nova communio, sed praecedens perficitur; si vero jam deposuerit vestes sacras, debet eas vel reportare ad tabernaculum, vel alteri Sacerdoti forte brevi postea celebraturo relinquere sumendas: si neutrum possit fieri, juxta cit. AA., poterit eas ipse sumere.

306. IV. Juxta *La Croix* hic n. 501. ciborium merito renovari debet singulis mensibus praesertim tempore et in loco humido, ne hostiae corumpantur: modi purificandi ciborium varii ab AA. praescribuntur. 1. Juxta *Lohner* P. 2. tit. 25. post communionem suam sub utraque specie Sacerdos particulas colligit indice digito in fundo ciborii, postea eodem digito levi tactu linguae madefacto vel e ciborio statim sumit, vel eas in ciborio prius collectas effundit supra patenam, et digito leviter madefacto sumit. Si notentur adhuc particulae adhaerere ciborio, infundatur vinum, quoties opus erit, ut solvantur; hoc tamen non est ebibendum e ciborio, sed refundendum in calicem. 2. Juxta *La Croix* hic n. 502. possunt particulae sumpto S. Sanguine in calicem vacuum conjici, tumque superfuso vino sumi. 3. Juxta alios possunt sicco purificatorio ad indicem circumvoluto colligi, postea illa purificatorii pars, ubi adhaerent particulae, excutitur in calicem.

307. V. Vermis inventus in ciborio, item sordes aliae ibi contractae debent comburi et cineres mitti in sacrum piscinam. *La Croix* hic n. 503.

308. VI. Juxta comm. peccat graviter, qui scienter ac deliberate distribuit s. communionem sine stola, superpelliceo vel alba: si tamen urgeret necessitas pro viatico, ita ut alias negligetur moribundus, posset Eucharistia dari sine his paramentis. In nigris autem paramentis non est distribuenda communio. Ita *S. Congregatio* 22. Januarii 1701. Ideoque si

quis petat Eucharistiam post missam *de Requiem*, Sacerdos deposita casula, stola et manipulo, alterius coloris stolam induere debet et sic praebere Eucharistiam.

„Sub Missa defunctorum potest distribui communio. Ita contra multos docet Bened. XIV. de Sacrif. Missae Sect. 2. *Rationem adducit*: 1. *Trid.* „sess. 22. c. 6. optat, ut in singulis Missis nullam excepiendo fideles communicent. 2. In Missa defunctorum, sicut in aliis Sacerdos dicit in Canone: „*Quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus et sanguinem sumpserimus* etc. 3. In Rubricis Missae pro defunctis pariter legitur: *Si qui sint communicandi, communicet antequam se purificet.* „Opponunt auctores... decretum *S. Congregationis* 1701., sed istud decretum promulgari vetuit eadem Congregatio 1711. die 21. Martii.

„Sed in Missis defunctorum, quae in paramentis nigris celebrantur, non ministretur Eucharistia per modum Sacramenti, scilicet cum particulis praeconsecratis, extrahendo pixidem a custodia: potest tamen ministrari per modum Sacrificii; prout est, quando fidelibus praebetur communicatio cum particulis intra eandem Missam consecratis. S. C. R. 2. Sept. 1741.“

309. VII. Probabiliter Sacerdos licite distribuit communionem mediis digitis, si ob chiragram vel aliud impedimentum nequeat distribuere pollice et indice: quamvis enim soli primi digiti physice inungantur, tota tamen manus moraliter consecrata et inuncta censetur. Ita *Gobat, Tolet.* contra *Vasq., Bonac.* et alios: sine justo impedimento id nunquam licet.

310. VIII. Si in distributione communionis sacra hostia in terram decidat, locus, in quem decidit, linteo vel alia re munda tegendus et postea abluendus est, ablutio vero mittenda in sacram piscinam: si deciderit in vestem aut barbam communicantis, non solet vestis aut barba abluui ob turbationem et offensionem populi. Ita *Lohner, Tamb., La Croix* hic n. 494., ideoque sufficit, si ea decenter tollatur a Ministro. Item si hostia decidat super linteum communicantium, ea mox tollenda; linteum tamen non statim auferendum est, ut vitetur turbatio. *Leonard.* de Euch. q. 13. §. 1. n. 75. praestat notare locum, ut postea abluatur et ablutio mittatur in sacrarium. Denique si sacra hostia inter distribuendum decidat in sinum vel intra vestes mulieris, ita ut modestè a Sacerdote accipi nequeat, permitti potest, ut vel ipsa vel alia mulier eam extrahat et in ciborium reponat, vel Sacerdoti eo reponendam tradat; si eam mulier in templo non possit commode extrahere, secedat in sacellum vel vicinam domum, ibique eam eximat et referat, digitos lavet; ablutio mittatur in sacrarium. *Ratio* est, quia indecens foret et plerumque scandalosum, si ipse Sacerdos eam extraheret. *Gobat, Lohn., La Croix.*

311. IX. Si Sacerdoti afferatur hostia, quam afferens dicit esse profanatam per magicos aut alios usus superstitiosos, non est continuo credendum, quod sit consecrata; debet tamen decenter involuta et ab aliis consecratis separata asservari in tabernaculo, donec species corrumpantur, corruptae possunt magis per aquam dissolvi, haec autem debet effundi in sacrarium: idem faciendum circa hostiam veneno infectam, aut per vomitum ejectam. Vide *Rubricas Miss.* de defect. §. 10. n. 14. Juxta *Sylv.* V. Euch. et *Gobat.* l. c. n. 425. non licet talem hostiam nondum corruptam comburere.

312. X. Si Sacerdos distribuens s. Eucharistiam observet personam, quae discedens a s. mensa sacram hostiam mox ex ore in strophium, vel librum precatorium emittit, si statim dextre et tam occulte s. hostiam eripere possit, ut alii praesentes non advertant, eam debet mox repetere vel eripere; idem dicendum, si forte sola illa persona esset in templo. Si

vero coram aliis tam occulte id fieri non posset, juxta *Burgh.* cent. 1. cas. 35. talis persona non esset publice corripienda, nec coram aliis spectantibus s. hostia ei eripienda. *Ratio prima est*, quia potest dari Eucharistia occulto peccatori publice illam petenti, tum ad publicam perturbationem cavendam, tum ad infamiam petentis evitandam: ergo ex iisdem rationibus potest Eucharistia jam data tali personae relinqui. *Ratio secunda*, quia in tali casu dubium adhuc est, an sacram hostiam non ex ore emiserit ad praecavendam irreverentiam propter vomitum inopinato insurgentem; item an vere s. hostiam, et non potius meram salivam aut album phlegma ex ore emiserit: ergo publice non est a Sacerdote repetenda s. hostia, quia id non posset fieri absque diffamatione publica talis personae. Plures rationes vide apud eundem *P. Burgh.* l. c. ubi sub finem monet, ut Sacerdos talem personam ex aliquibus notis dignoscat, quo eat etc. ut ab eadem sine strepitu sacram particulam possit repetere; si vero hoc ipsum absque gravi incommodo facere nequeat, rem Deo commendat, nihilque se peccasse credat. *Ibid.* solvit objectiones. „Huc etiam pertinet Constitutio *Bened. XIV.* quae est in Tom. I. ejusdem Bullarii nonagesima tertia, contra „*surripientes vel asportantes, aut apud se retinentes sacras hostias vel particulas consecratas*: ubi §. 1. et 2. confirmat Constitutiones *Innoc. XI.* „et *Alexandri VIII.* de eodem argumento editas, vi quarum praedicti „delinquentes curiae saeculari tradi debent puniendi, et si Ecclesiastici „sint, degradentur et curiae saeculari tradantur, etiam pro prima vice, „imo etiam minores 25. annis, dummodo annum 20. attigerint, rejectis „exceptionibus de non consecratione aut de non malo fine, nisi ab ipsis „reis probentur.“

313. XI. In nocte Nativitatis Christi, juxta *Decretum Congreg. Rit.* 7. Decemb. 1641., item die Veneris sancto, juxta *Rubr. Miss.*, et tempore interditi generalis non licet distribuere s. Eucharistiam, non tamen prohibetur die Sabbati s. saltem post celebratam de more missam. Dictae autem prohibitiones se non extendunt ad casum necessitatis, quo aegrotus sine viatico esset moriturus; quia Ecclesia non prohibet communionem in ejusmodi necessitate. *La Croix* L. 6. P. 1. n. 619.

CASUS VI. De Communione Paschali.

Godefridus mercator anno superiore toto tempore paschali negotiorum causa inter acatholicos vixit; domum redux dubitat, an adhuc teneatur communicare et neglectae obligationis defectum supplere; hoc anno ante tempus paschale iterum ad terras acatholicas avocatus, quamvis prudenter praevideat, ibidem non fore copiam Confessarum, nec occasionem sumendi Eucharistiam, nihilominus abit, quin prius confiteatur aut communicet.

314. Q. I. An Godefridus debuerit adhuc postea communicare? R. *Affirmative*, scil. ex supposito, quod toto illo anno sive ex legitimo impedimento, sive ex malitia neglexerit communionem. *Ratio* est, quia hoc praeceptum Ecclesiae virtualiter est duplex, primo non differendi communionem ultra annum, secundo communicandi in paschate. Communio annua praecipitur principaliter; ut illa fiat tempore paschatis, praecipitur tanquam minus principale objectum propter reverentiam festi, in gratam memoriam Coenae Dominicae, et Sacrificii cruenti in cruce eo tempore oblatis; uti colligitur ex verbis *Trid.* n. 268. cit.: *Singulis annis saltem in Paschate*: item ex C. Later. ut refertur in c. *omnis utriusque sexus*: *Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum*: ubi ex verbis *ad minus saltem*, satis patet primario praecipitur communionem annuam, secundo autem determinari tempus; ergo accessorio neglecto non cessat pri-

marium et principale, ut constat ex C. *Cum dilecti filii*. 6. L. 2. Decretal. tit. 14. de dolo et contumacia. *Confirm.* Si voveas jejunare aut debeas solvere mutuum *intra annum*, idque circa festum paschatis, si non possis jejunare vel solvere in paschate, adhuc teneris *intra annum*: ergo a pari. Ita *Laym.* L. 6. t. 3. C. 5. n. 8. cum *Navar. Azor. Suar. Fagundez.* L. 1. de 3. praecepto Eccl. C. 6. n. 2. contra *S. Anton., Henrig., Tabien., Sa,* et alios: *Cardenas* nostram resolutionem dicit moraliter certam ex praxi et consuetudine Ecclesiae, vi cujus Ordinarii et Parochi cogunt subditos suos, ut ii qui obligationem statuto tempore non expleverunt, eidem proxime satisfaciant.

315. Q. II. An Godefridus praevidens impedimentum communionis paschalis debuerit praevenire? R. 1. Si a postremo tempore paschali jam semel digne communicarit, non tenetur praevenire; quia nemo tenetur anticipare opus praeceptum, nisi per talem anticipationem ita satisfaciat praecepto, ut postea sit liber ab obligatione; quod hic non contingit; si enim ex supposito praevisum impedimentum praeter opinionem tempore paschali tollatur, adhuc manet obligatio communionis paschalis; ut in seq. q. dicitur. R. 2. Si vero post ultimum tempus paschale nunquam communicaverit, et proxime instanti paschali tempore praeviderit impedimentum, debuit praevenire; quia sic anticipando implere adhuc potest, quod primario praecipitur, scil. ne differatur communio ultra annum. *Laym.* l. c. n. 9. Sic conciliantur AA. *Azor* qui absolute negat, et *Fagundez* qui l. c. absolute affirmat obligationem anticipandi. Ex his porro sequitur, quod ille, qui praevidet se non posse communicare ultima hebdomada, debeat praevenire in prima hebdomada, vel illis diebus temporis paschalis, quibus potest satisfacere praecepto: sicut qui praevidet die festo, se non posse horis ultimis audire Sacrum, prius debet audire quando potest, quia tunc urget tempus praecepti. Porro annus, intra quem communicandum est, probabilius computari debet a paschate ad pascha. *Ratio* desumitur ex tenore praecepti et communi sensu fidelium. *Suar., Coninck* de poen. dist. 5. Juxta alios computatur a prima Januarii, sed non aequè probabiliter.

316. Q. III. An is, qui ob impedimentum praevisum anticipavit communionem paschalem, sublato postea praeter intentionem impedimento, teneatur rursus in paschate communicare? R. *Affirmative*: quia per anticipatam communionem satisfactum quidem est praecepto annuae communionis, non autem praecepto communicandi tempore paschali: ergo cum huic adhuc possit, etiam debet satisfieri. *Suar.* hic D. 69. Sect. 2. sub fin., *Lugo* contra *Dian.* et partim contra *Gobat*, qui ita resolvit: si anticipans ex rationabili causa habuerit intentionem satisfaciendi praecepto communicandi, non tenetur denuo communicare; secus si eam intentionem non habuerit.

317. His adde sequentes resolutiones. I. Communio paschalis debet sumi in propria parochia domicilii, vel quasi domicilii de manu proprii Pastoris aut alterius Sacerdotis cum licentia proprii Pastoris, quam in variis locis habere censentur Regulares, qui toto tempore paschali communicantibus in suis templis, scientibus et non contradicentibus Parochis, schedas communionis distribuunt; eandem censetur habere quilibet Sacerdos, qui cum consensu Parochi tempore paschali in parochiali Ecclesia communionem distribuit. Haec obligatio licet non possit probari jure scripto, satis tamen patet tum ex usu et consuetudine, tum ex declaratione *S. Congreg.*, quam refert *La Croix* hic num. 637. ex *Gallemar.* ad Can. 9. sess. 13. *Trid.*, dum quaerebatur, an PP. Societatis Jesu aliique Regulares possint ministrare sanctissimum Eucharistiae Sacramentum per-

sonis saecularibus a Dominica Palmarum usque et per totam Dominicam in Albis? *S. Congregatio* die 31. Jan. 1682. respondit *Affirmative*, *excepto die Paschatis: ita tamen ut saeculares sumentes Eucharistiam in Ecclesiis Regularium in aliis diebus a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive non satisfaciant praecepto Ecclesiastico.* Vide etiam Decretum Clem. VIII. infra n. 481. *Ratio* et finis hujus est, ut oves recognoscant suum Pastorem. Juxta *Gobat* t. 4. n. 68. satisfacit huic praecepto, qui tempore paschali Eucharistiam accipit in privata Ecclesia e manibus Parochi sui, vel delegati a Parocho. Juxta *Bonac.* D. 4. q. 7. pun. 2. n. 9. contra *Navarrum.* Qui praeceptum communionis jam adimplevit, si velit in die paschatis denuo Eucharistiam sumere, potest eam sumere a quocumque alio Sacerdote: quia talis nullo jure obligatur in die paschatis communicare: ergo si velit communicare, potest a quocumque Sacerdote alias habente facultatem administrandae Eucharistiae sumere communionem. *Nec obstat*, quod in privilegiis excipitur dies paschatis, quia exceptio intelligenda est formaliter pro communiione paschatis, ut ovis agnoscat suum pastorem et Ecclesiam: atqui in nostro casu jam agnovit: ergo.

318. II. Probabilius non satisfacit huic praecepto, qui alteri Parochiae subditus communicat in Ecclesia Cathedrali, nisi contraria consuetudo alicubi vigeat; quamvis enim illa sit primaria et reliquis Ecclesiis superior, singuli tamen Parochi et parochiae habent suos terminos et jura non minus quam singulae dioeceses. *Bonac.* D. 4. q. 7. pun. 2. sub finem n. 11. *Excipe* eos, qui parochiam habent in Cathedrali.

319. III. Philosophi et inferiorum classum Candidati censentur satisfacere huic praecepto communicando in templo Patrum Societatis Jesu ex tacito Parochorum consensu et consuetudine ubique id obtinente, ut ait *Gobat* t. 4. n. 77. quia totam eorum curam habent Professores, et Magistri. DD. Theologi tenentur in parochiis vel propriis, vel domicilii sui sumere tempore paschali Eucharistiam; ubi non aequè subditi censentur curae Professorum suorum, adeoque ne sint omnino exleges, tenentur instar aliorum fidelium satisfacere huic praecepto. Idem dicendum de DD. Candidatis Juris et Medicinae. *La Croix* hic n. 636.

320. IV. Per se loquendo famuli domestici intra septa Religiosa habitantes debent e manibus Parochi Eucharistiam tempore paschali sumere, uti probat *Sa V.* Eucharistia n. 9. ex declaratione *Congreg. Conc. Trid.* Dixi *per se*: scil. nisi excuset speciale privilegium, quali gaudent famuli domestici RR. PP. Dominicanorum per Bullam: *Virtute conspicuos*; et famuli domorum et Collegiorum S. J. ut habetur in compendio privilegiorum S. J. verbo: *Familiares.* Idem affirmat *Jansen.* l. c. n. 27. de famulis commensalibus Mendicantium ex Bulla Leonis X. *Dum intra.*

321. V. Religiosi satisfaciunt in suis monasteriis communicando. Sacerdotes saeculares satisfaciunt ubique celebrando; ita constat ex praxi et consuetudine. Si vero communicent ut laici, etiam ut laici debent communicare in parochia. *Lugo* hic n. 31.

322. VI. Vagi, et peregrini a proprio domicilio absentes, ita ut commode ad proprios Parochos accedere nequeant, ex tacita eorum licentia non tantum in templo parochiali, ubi commorantur, sed etiam in alio ibidem possunt communionem paschalem suscipere, et praecepto satisfacere. Ita *Palao* tr. 21. Disp. unic. p. 15. n. 10. cum *Cajet.* V. Absolutio, *Nav., Soto, Azor, Sanch.* L. 3. de matrim. D. 23. a n. 17. contra *Antoine*, eo quod parochiae, in quibus transeunter commorantur, non sint propriae parochiae ex obligatione, cum ibi nequidem acquirant quasi domicilium.

Dices: Eugenius IV. concessit peregrinis, ut in ordine ad communi-

nem paschalem censi possint in alienis parochiis quasi incolatum acquisivisse. Respondet *La Croix* hic num. 638. hoc fuisse concessum in gratiam peregrinorum, ita tamen ut possint satisfacere praecepto etiam non communicando in templo parochiali, sed in alio, ubi commorantur, quia non tenentur uti isto privilegio.

323. VII. Puerperae necdum introductae in Ecclesiam tenentur communicare domi, vel cum consensu Parochi differre communionem post pascha: respiciendum in his casibus est ad consuetudinem locorum: in *Synodo Colon.* sub Maximil. Henrico, teste *La Croix* hic n. 636., statutum est, ut puerperae paschalem communionem domi saltem sumant, neque, donec in Ecclesiam introductae fuerint, eam differant, nisi Parocho aliud videatur.

324. VIII. Tempus paschale sacrae communioni definitum 15. dies jure communi complectitur, qui sunt a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive, ut declaravit *Eugen. IV.* anno 1440. die 18. Julii per Bullam: *Fide digna*; in quibusdam tamen locis consuetudine, aut Pontificio privilegio hoc tempus extensum est, ut vel integram quadagesimam complectatur, vel sex hebdomades, quatuor ante et duas post festum paschae, sicuti in Dioecesi Herbipolensi. Potest hoc tempus non tantum Ordinarius, sed et Parochus ex justa causa extendere: Parochus quidem respectu particularis personae, ut patet ex c. *Omnis utriusque* 12. de poenit. et remiss. *Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum: nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujus perceptione duxerit abstinendum.* Hinc si ultimis diebus temporis paschalis consuetudinarii, vel in occasione proxima viventes veniant ad confessionem, dicentes se citius confiteri non potuisse, Confessarius non debet iis facile credere, nec tenetur eos absolvere, etsi fraudulenter urgeant absolutionem praetensa necessitate sumendi ex praecepto Eucharistiam; tum quia juxta *cit. cap.* ex judicio proprii Sacerdotis communicatio paschalis potest differri; tum quia per confessionem invalidam et communionem sacrilegam, qualis esse prudenter censetur confessio ejusmodi consuetudinarii ob defectum doloris et propositi, non satisficit praecepto, juxta propos. 55. ab Innoc. XI. damn. et propos. 60. et 61. ab eodem damnatas. *Neque dicas:* Confessio consuetudinarii non semper prudenter potest censi invalida: ergo nec semper timenda est sequens communicatio sacrilega. R. Manet, quod justa plerumque causa adsit negandi vel differendi absolutionem ejusmodi consuetudinarii et in proxima occasione viventium, donec apertius probent se esse rite dispositos.

325. IX. Qui impeditur a communione paschali per excommunicationem, suspensionem aut interdictum, tenetur procurare absolutionem a censura, ut possit satisfacere praecepto; non autem propterea tenetur infirmus aut incarceratus sibi procurare valetudinem, aut liberationem e carcere. *Ratio utriusque* est, quia, qui excommunicatur, peccavit contra Ecclesiam, et illi est contumax; aegrotus vero vel incarceratus per hoc non peccat contra Ecclesiam, nec illi contumax est; ergo Ecclesia respectu horum merito censetur esse indulgentior, et non adstringit praeceptis illis. Ita *La Croix* L. 1. de LL. n. 794. cum *Gobat* et aliis. In similibus casibus respiciendum est ad intentionem legislatoris, quae ex usu et judicio prudentum rationabiliter colligitur.

X. Ex dictis P. I. n. 174. et n. 196. satisficit praecepto communionis paschalis, qui rite dispositus sumit s. communionem tempore paschali, etsi non habeat expressam intentionem implendi praeceptum.

326. XI. De communione parvulorum *Bened. XIV.* in constit. 42. quae incipit: *Etsi minime*, et habetur in T. I. ejusd. Bullarii pag. 110. §. 9. ita statuit: *Ut autem ab iis, qui in prima sunt aetate, sermo instituitur, ad S. Eucharistiam et Confirmationem admitti plures postulant: pauci enim enixam hanc voluntatem ac fere impatiens studium non praesecerunt. Moneat igitur Episcopus Parochos, eisque districte praecipiat, ne quis eorum S. Eucharistiae Sacramentum administret, et schedulam, ut ajunt, Confirmationis iis tradat, qui graviora fidei et doctrinae capita, et Sacramenti virtutem et vim ignorent; vel quia parum in hoc tirocinio profecerint, vel quia ea neglexerint audire, quae ad hujusmodi Sacramenta pie, riteque suscipienda statis temporibus tradita sunt. Hoc sane pacto primae aetati satis videri potest consultum.*

CASUS VII. De sumenda Eucharistia in articulo mortis.

Gregorius in hospitio bene potus post diuturnas rixas a combibulis tandem ita vulneratus est, ut usum linguae amitteret, et paulo post moriturus crederetur; quia tamen per signa indicat se velle absolvi, et S. Eucharistiam suscipere, advocatur Parochus, a quo absolvitur et S. Viatico reficitur: mox Gregorius S. Hostiam adhuc in ore habens exspirat.

327. Q. I. An licite datum fuerit Viaticum Gregorio bene poto? R. *Affirmative.* Nec enim obstabat, quod non fuerit jejunus; quia in tali discrimine non habetur ratio jejunii: nec obstabat, quod fuerit bene potus; quia per talem semiebrietatem, quae non aufert usum rationis (id quod in casu supponitur), non est in statu peccati gravis: praeterea per signa doloris et desiderii Eucharistiae non tantum probavit usum rationis, sed etiam sufficientem dispositionem animi pro iis circumstantiis, in quibus se maxime indignum Viatici cognovisse censendus est: ergo non tantum potuit, sed debuit huic Gregorio dari Viaticum, ex supposito tamen, quod abfuerit periculum irreverentiae.

328. Q. II. Quid observandum sit Sacerdoti, si ad plene ebrium constitutum in mortis periculo vocetur ad dandam absolutionem et Viaticum? R. Ad 1. Praecipue curandum, ut a tali signum quoddam doloris obtineat (saepe enim plene antea ebrii in ejusmodi periculo ad aliquod rationis diluculum solent redire): si *certum* signum doloris obtineat, *absolute* eum poterit absolvere; si *dubium*, agat quantum pro salutis auxilio fieri potest, juxta inferius dicenda de absolutione sub *conditione* danda. R. Ad 2. Si constet, ebrietatem fuisse voluntariam, praesertim si notorie infamis sit a temulentia, Viaticum non est concedendum: *hic enim panis non est mittendus canibus*, ut canit Ecclesia; est autem *canis ebrius praestantior, et asinus melior*, teste *S. Chrysost.* apud *Gobat* t. 4. n. 195. *Confirm.* Per plenam ebrietatem, quae aufert usum rationis, homo est in statu peccati mortalis; ea autem durante manet destitutus usu rationis: ergo nec est capax doloris; ergo nec dignus Eucharistia. Si vero sciatur, ebrietatem non fuisse voluntariam, vel non graviter culpabilem, aut si dubitetur, an fuerit voluntaria, potest adhuc per se loquendo dari Viaticum. Dixi, *per se*: scilicet si absit periculum, ne sacras species per vomitum rejiciat, id quod raro abest. *Ratio primi* est: quia per ebrietatem inculpabilem et involuntariam non est in statu peccati gravis: ergo non debet suo jure sine culpa privari; ex supposito tamen, quod adsint aliqua signa usus rationis et doloris, ut supra dictum. *Ratio secundi*: quia in dubio ebrietas praesumitur involuntaria in eo, qui nunquam vel rarissime se inebriare solitus est; secus est de eo, qui ebrietati alias deditus est; huic in tali dubio ebrietas voluntaria fuisse merito censetur; quia ex communiter con-